



BIBLIOTHECA
19

Ce 419

1) Cratichneumon (Ferdinand)
Scipio

no 2) - 21)

Ce 419 (1-19) D (Teil 175)

MF (6)

16
RECTORIS

Pro tempore

ACADEMIÆ VVIT-
TEBERGENSIS

IOHANN: IESSENI
à IESSEN, ILLVSTRISSIMO-
rum Saxonix Ducum Medici &
Professoris.

DE MORIBVS ET LEGIBVS,

*Ad Studiosos in solenni statutorum
recitatione*

SERMO.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii,

M. D. XCVII.

Johann von Jessen



Industria, arte, diligentia opus
est pecudum rectori, quanto ma-
gis hominum & animalis adeo varii
& intractabilis,

DE MORIBVS ET LE-
GIBVS,

SERMO.

Hominem socium esse animal necessitas ipsa coëgit. In tanta enim imbecillitate, tot & tantarū rerum inopia sibi nemo soli cum sufficeret, urgente mutuo opis indigētia: Contiguas pietas iussit habere domos, ut inquit ille. Addidit glutinū DEUS huic societati, animū benevolum. Hac quidem benevolentia forās aliquantulum ebullit, mox verò ardore hoc restincto, intrò rursus sese recepit, ita ut seipsum tantum tenerrimè quisq; amet, in alios rigidus atque asper. Foret hoc presentissima & gravis tumultuum in vita caussa, si ad suas utilitates & delicias, quantum viribus suis quisque valeret, omne transferre permetteretur, nisi in locum mutue benevolentie iustitia successisset, qua avidas manus compesceret, atque ab hominum convictu injuriam omnem arceret. Hac tamen etiam cum & ipsa non rarò ignorantia obruatur, saepe etiam ex animo affectuum turba propellat, publica ut persisteret, qua sine hac non valebat, incolumitas, majori potestate & vi iustitia continenda fuit. Quod ex

DE MORIB. ET LEG.

usus igitur esset omnium ad quietè & jucundè vi-
vendū, permissu communi, iis, quos censebant sapi-
entissimos esse, magni iudicii & sedatis affectibus,
concessum est, ut ipsi, quam aequitatem mentis sua
lumine essent intuiti, ad publicum usum ederent,
eāque si videretur, acciperent hominum cœtus,
confirmarent, atque nervis, pœnis, metu, stabili-
rent. Ergo principio coalita hominum congrega-
tione, cum veluti moles quadam rectore indigeret,
(dum adhuc nemo sibi sumere has partes audebat)
eligebatur ex eo corpore aliquis, prudentia & pro-
bitate insigni spectatus, cui parerent omnes, ut ille
fultus consensu universorum (quæ amplissima sunt
opes, & maxima potentia) tueretur bonos, coërceret
malos, jus diceret, & illius integritate unusquisq;
quod suum esset, obtineret; cuius decreta & iussa,
essent jus ratum, ac leges dicerentur. Erat tunc
priscis illis satis sic denunciari, non debere fieri.
Verbum istud & manus & voluntates continebat:
tantum apud illos valebat juris & aequitatis respe-
ctus. Et Plato quoque Magistratus in hoc occu-
patam unicè curam esse jubet, ut cives assuefaciant
bonis delectari, aversari & odisse mala: quo conse-
cuto

SERMO.

cuto, non esse opus multis legibus, quando unusquis-
 que intra se legem sibi æquissimam circumferat,
 moderatum ac rectè constitutum animum. Vnde
 porticus legum tabulis replere non fore opus, siqui-
 dem in hominum mentibus æquitas defixa existat.
 Aliàs malè educatis atque edoctis, legum nullam
 quamlibet exactè præscriptarum reverentiam esse,
 cum contrà probè institutis solum bonis moribus re-
 cepta sufficiant. Credo ego, hinc Solonem de par-
 ricidiis legem nullam tulisse, uti nec Lycurgum de
 adulteriis quicquam cavisse, quòd vel tale facinus
 in quenquam posse cadere, non arbitrarentur, aut
 saltem nè sepulta hujusmodi crimina excitare mi-
 nis viderentur. Ast deinceps postquam crevit con-
 tumacia, nec amplius satis esset quippiam probi-
 beri, leges latæ sunt, & potestatis loco denunciata
 coërtio ad terrorem omnium, ne se effunderet in po-
 tentia. Inde tot hodie diligenter sancitæ leges, tot
 injuriis, sceleribus, designatæ pœna, tot litium gene-
 ribus indita judiciorum nomina, tot loca judiciis
 exercendis consecrata, ut nulla nunc civitas tam
 quieta sit, cui unum forum sat sit. Quæ argu-
 mento sunt omnia, pravo homines esse ingenio, pra-

DE MORIB. ET LEGIB.

va educatione: cogi videlicet Magistratus, alias
super alias accumulare leges, dum vitiis multifa-
riam erumpentibus leges quasi obices opponunt. Sed
nedum (proh dolor) hæc obterenda & restringenda
malitia sufficiunt, adeò justissimè ingemiscens ex-
clamare quisque possit: O felices, nati melioribus
annis. Hominum nunc genus in rebus omnibus quo-
tidie segnius atq; inertius, mirum quàm in malis
omnibus sufficiat: bonæ artes & disciplina univer-
sa, ingenii & sapientia profutura, jacent, incultio-
resq; sunt hodie, quàm cum primum proferrètur, vi-
deas tã omnia (sicut Poëta ait) in pejus ruere, & re-
trò sublat a referri. Omnes prævæ artes, & in mutu-
am perniciem ab hominibus excogitata, augentur,
excoluntur, vigent, inveniuntur semper magistri
earum, semper discipuli alii aliis succedunt, imò ve-
rò magno proventu succrescunt. Sapientia & pie-
tas deserta ac neglecta, nisi paucorum quorundam
opera & diligentia fulcirentur, brevi conciderent.
Ergo novum virtutis genus jampridem nullum ex-
titit, nova vitiorum, flagitiorum, scelerum genera
quotidie, etiam cum rem credebamus ad ultimū esse
perdisctam, nec locum amplius novo invento super-
esse.

esse. Quot præterire secula, cum majores nostri
conquererentur, ad fastigium scelera pervenisse? At
proximum quoque seculum demonstravit, ne ad me-
dium quidem ascendisse, cum superiores in cacumi-
ne clamarent consistere. Hæc certè atas prioribus o-
stendit, nimis præmaturè illos esse conquestos, vix ce-
pisse nasci flagitia, cum ipsi tanquam adulta defle-
rent. (Cui non (per DEUM IMMORTALEM) quotidie
nova vitiorum, improbitatum, scelerum facies sunt
cum maximo gemitu spectanda? Intueamur vel uni-
cam gula intemperantiam, nonne hæc nunc magis,
quàm antehac nunquam, nostram præsertim gen-
tem, quasi perpetuo & diro servitutis pacto sibi ha-
bet. Bruta, quæ DEUS omnia, demisso in terram
capite, pastui nata condidit, obviis ac à natura pa-
ratis cibis contenta, potu etiam illo ubique exposito
perfruantur. Solus homo spectatum cælum ere-
ctus, ad cultum animi, divinitatis ac proinde immor-
talitatis creatus, nature salubria, imò Dei rectius
munera spernit, atque ex ultimis terris, mariq; i-
pso, quod delicatum ipsius palatum exsatiat, vel
potius irritet, accersit, deplorandum corporis man-
cipium. Aqua, ex scaturigine pura hausta & salu-
berr-

DE MORIB. ET LEGIB.

berrima bestia cum utantur, non eadem homini
satisfacit, imò nec vinum, quod Paulus Timotheo
suo, ex ventriculo laboranti, modicum indulfit, &
dilutum; sed quod vel Hispania genuit, aut ex Cre-
ta, & ultimis oris advectum. Nobis verò qua co-
luntur, quòd proveniant tenuiora, atq; ad inebri-
andum minus potentia, calce, sulphure, alumine, &
aliis abominabilibus, quò facilius caput petant,
mentemque ipsam feriant, adulterant, quibus tan-
tum abest singulis ut sitim restinguant, ut magis et-
iam accendant. Hic verò, & ubi necessitas impe-
rat vini penuria, excogitata cerevisia est, quam
ex lacunis plerunque, vel, in quam cloaca influant,
obscœnissima aqua coquunt, cui ea quoque addunt,
quæ æquè validam ad ebrietatem reddant, quàm
quodcunque vinum & quocunque loco natum. Tum
demum verè beatos rentur, si hisce potus generi-
bus sese explere & infarcire, itaque mutuò acci-
pere liceat, quò discedant sic distenti, ut parum ab-
sit, quin rumpantur, nihilq; toti insit homini, quod
suum facere possit officium, beluaq; recedat, qui ho-
mo advenerat. O pudendam mentium cacitatem,
tam speciosum videri, hominem de mentis potestate
exi

SERMO.

exire, induere beluam, imò verò stipitem & saxū?
 O furorem cacum, ire se perditum, nec se hominem
 existimare, nisi quotidie fias bestia. O gulam despe-
 ratam, quarixas, contentiones, plagas, cades, adul-
 teria designare solet, & alia id genus impura ma-
 ter fœdissimam sobolem fœcundissimè procreare. O-
 mnes namque virtutes, quemadmodum connexionem
 quadam sibi junctæ sunt: ita vitia tanquam an-
 nuli in torque mutuò sese devincire, à sapientibus
 proditum est. Quis igitur, quæso, non videt deplo-
 randam hominum invidiam, superbiam? Quis ra-
 biam irarum, simultatum, & impotentes in DE-
 UM blasphemias, horrenda perjuria, tristes execra-
 tiones? quis fraudes, imposturas, de quibus omnibus
 in presentia non vacat, neque libet sigillatim dice-
 re? In hos corruptos mores iratior si invehor, san-
 ctus me id virtutis zelus jubet, & hoc, quod sustineo,
 munus injungit: & si unquam, certè nunc adversus
 has labeas, ne fortiùs serpant, insurgendum est gra-
 viùs, ut si fortè hoc modo à beluino victu homines de-
 territi, ad sapientia innocentiaq; consortium festi-
 nent. Tot etenim hinc Romæ olim & Athenis vi-
 ri sapientes, quòd libera lingua pravum & distor-
 tum

B tum

DE MORIB. ET LEGIB.

tum omne discerpere & dilaniare liceret. Integrum in crescentis Ecclesiae exordio erat, peccantes increpare, ut quos timor DEI meliores non redderet, verecundiam mundi (quantumcunque id esset) ad peccandum segniores saltem efficeret. At tantò hoc per- verso seculo periculosius nobiscum agitur, quòd pauci nunc Verona, plurimi Placentia adveniant Palpo- nes & Gnathones egregii, qui blandis adulationibus facinora fovent, imò quod omnium perniciosissimum, laudem etiam atque commendationem addunt. Ah, si id, quod virtuti est proprium, ad vitia transfer- tur, quid spei est reliquum miserimo hominum ge- neri, ad flagitia alias proclivi, nisi ut, de mta abo- minatione, qua deterreatur à scelere, ruant omnes in capitalia facinora, de quibus etiam perinde glo- rientur ac de virtute? Audet hanc jactantiam, quod tantò ferendum iniquius, non rudis solum & immoratus vulgus, sed majori cum protervia sobria doctrina addictus, nescio, quomodo tam sui prorsus oblitus, noster cætus, è quo plurimum quantus sit, & quibus in literis profectus, mores testantur, non in his scilicet atriiis sapientia præceptis institutos, sed in temulentia scholis tabernis furore correptos, quos
spon-

SERMO.

spontanea eò frequenter agit demētia astus, ut noctu
 praesertim, vespertiones hi patrare ea non verean-
 tur, quae immanissima etiam quaevis belua non au-
 deat. Excellentia tamen adhuc ex hac stulta insa-
 nia queritur, & praestantior ille aliis haberi vult, cu-
 jus temeritas ulterius progressa est. Haec nostro-
 rum sunt papè studia temporum: Huiusmodi ho-
 die ingenia miserrima, & mea sententia, ad pale-
 am, siliquas, aristas, non ad frugem nata. His ne
 putes, eos, penes quos summa rerum quondam fuit
 potestas, exemptiones, & singularia privilegia in-
 dulnisse? Non arbitror. credo magis reversum ab
 inferis FRIDERICUM Imperatorem, & plerorum-
 que eorum, qui à disciplinarum cultu studiosos sese
 appellant, vitam intuentem, Novellam Constitutio-
 nem suam emendaturum, & quod scio justissimè re-
 positurum: Quis, inquiens, eorum misereatur, qui
 sponte à mente exules, facti de divitibus pauperes,
 semetipsos exinanivunt, vitam suam temerè multis pe-
 riculis exponunt? Quid dicturum facturumq; FRI-
 DERICUM, à divinarum humanarumq; rerum stu-
 dio SAPIENTEM cognominatum, Saxoniae Electo-
 rem inclytum existimas? si praeposteros hos mores, &

DE MORIB. ET LEG.

alienissimum vitæ genus ipsi intueri coràm licet et.
Voluit certè cordatissimus Heros hic, Academia hujus
Conditor, & ceteri hujus Conservatores, Duces & E-
lectores Saxonie Illustrissimi, locum hunc DEO &
Musis consecratum, pietatis, scientiarum & virtu-
tum esse Gymnasium. Iubet nunc quoq; Tutelario
nomine excelsissimus Heros FRIDERICUS WIL-
HELMUS, Princeps verè probus, Dominus meus Cle-
mentissimus, hic vigere justitiam, prudentiam, tem-
perantiam, fortitudinem, salutem, amorem, pacem,
concordiam, solatium, fidem, honestumq; otium; hic
religionem, sanctitatem; hic disciplinas omnes, cum
Musis Gratias, hic Virtutem ipsam, relegato & pro-
scripto omni scelere, habitare unicè exoptat. Ut ergo
libidini, licentia, injustoq; omni Principes hi fortis-
simi aditum praecluderent, & oppidum hoc, mœniis
& aggeribus exstructis, propugnaculis erectis, omnis
item generis armis & praesidiis adornatis, adversus
externas injurias munitissimum, & Musas ipsas
his legum, quas jam auscultate, decretis dexteri-
mis, contra intestinam violentiam securissimas pul-
cherrimè præstiterunt.

Hic

SERMO.

Hic Statuta Universitatis, & unâ FRIDERICI I, AUGUSTI, CHRISTIANI, beatæ recordationis, Saxonix Ducum & Electorum, nec non FRIDERICI V VILHELMII, Electoratus Administratoris mandata aliquot, Franciscus Hefsus Notarius accensuit.

Quæ sint Magistratus administrationis præceptiones, ad vos non spectat: sed ex dictis his potius nosse, quid vobis factò opus sit, qui sub Magistratu hoc nostro degitis. Quemadmodum igitur, si, Magistratus summi mente & voluntate vobis nõ declarata, contra has aliquis quippiam committeret, æquum non foret, me vobis succensere: ita postquam præmonui, quid agere quemque vestrùm conveniat, causa optima de eo, qui non paruerit, licebit mihi conqueri. Neque est, quòd vestrùm quispiam leges has, aranearum telis, infirmo ædificio, similes existimet, quibus mirutula duntaxat bestia, musca, formica, & id genus alia imbellia contineantur: majora verò, velut aquila, vultures, & similia, tenui structura rupta, indemnia evadant. Nam etsi tale quippiam & Solon ille, unus è septem Græcia sapientibus, de legibus sentire, & Cato censoria sua sententia confirmare non dubitârint: Sciendum ta-

DE MORIB. ET LEGIB.

men & tenendum erit, leges, quarum germana est
 Iustitia, omnes sui parte esse aequales, ex se verò mu-
 tas atque surdas, quae nihil audiant, nil loquantur,
 imò nec videant quicquam. At viros his additos
 esse, quibus loquentibus, ipsa loquantur, quibus vi-
 dentibus & audientibus, ipsa videant atque audi-
 ant. Hos iudices appellare soliti sumus, quos ^{ἡ δὲ τῆς}
^{δικῆς δικαστὴς} Graeci nominant, qui & loquentes leges
 dicuntur, quemadmodum leges mutos iudices non
 ineptè quispiam appellàrit. Hi si praesidenti Iusti-
 tia, cuius imaginem Chrysippus Stoicus Philosophus
 optimè depinxit, sese conforment, graves, sanctos,
 incorruptos, severos, in adulabiles, castos, temperan-
 tes, prudentes praestabunt, quos nec gratia flectet, nec
 timor deterrebit humanus, odio, amicitia, ira vaca-
 bunt, nec se unquam aureis harnis capi patientur.
 Quòd si autem fortè aliqui iudices sunt, quorū haud
 dubiè existunt plurimi, si modò hoc nomine appellan-
 di, qui bovem, ut dicitur, facile in lingua ferunt, quos
 divitum dona commovent, & potentum minae con-
 turbant: hi sunt, qui bestiolis imbecillibus acres &
 severi, majores verò expavescent, iudicia, iura, le-
 ges, & iustitiam turpiter deserunt. Haec sunt ara-
 nei

SERMO,

nei telula, quæ minutula irretiunt animalia, majoribus cedunt, & ne his solum, sed & levibus, ubi has majora perfregerint. Quare non jura, non leges, sed nequam quidam judices & homines nihili, aranea sunt, qui neq; judices verè sunt, hoc est, jus dicentes. Non enim ejusmodi perditorum hominum voce leges constituta, sed natura norma, quæ lib. 5. de Rep. Philosopho teste, in omnium cordibus scripta, & ex utero materno nobiscum educta, & initio in natura ipsa, quemadmodum margarita in conchis, sita sunt. Ad has qui judicia sua accommodat, hic solus ^{δικαστής}, & verè judex & justitiae antistes censendus est. Ceteri verò non pluris, quàm quales in ludis representantur scenici, vel etiam picti, faciendi. Nemo igitur vestrum hisce se exemptum statutis & sanctionibus putet, sed his ad obedientiam vel ad pœnam obligatum certò existimet. Quod qui seriò cogitabit, tollet ilicò confictam stulte libertatis speciem, ne nominatam quidem in vetustis Romanorum & Græcorum monumentis, nedum expressam, ut cuique impunè liceat, quantum libeat. Tenebit potius libertatem summam, legibus ac legitimis Magistratibus quietè obtemperare, & bonum se ac moderata-

DE MORIB. ET LEGIB.

deratum praeberere civem, voci legum ac Magistratum
um praesto esse, imperiis promptè & alacriter pare-
re: imò verò hanc statuet unicam veram esse liber-
tatem, velle se bene vivere, hoc est, animi vitiis va-
care, & impotentissimis voluntatis motibus ac cupi-
ditatibus non servire, quae sola est servitus, ut nec
Reges ipsi possint dici liberi, quam diu his obsequan-
tur. Hos pravos appetitus animi nostri omnes so-
la Obedientia, reliquarum virtutum radix ac semen-
tum, compescit, & quò gradus praestantiores sunt, eò
pertinacius ipsis inest obtemperandi propositum. Ita
sublimi quodam modo Angeli Deo obediunt, caeli
perennibus suis motibus libentissimè morem gerunt,
nec ulla res est tam exilis in hoc toto universo, quae
non divina illi rationi, menti, legi, voluntati obtem-
peret, quin homini quoque ferarum omne genus spon-
tè se submittere cernimus; imò in homine ipso ani-
mam per naturam corpori dominari sentimus. Obe-
dientia haec cum custos sit & servatrix ordinis, exi-
stimandum est ex eo fonte emanasse, unde rerum
ordo effluxit, qui ex divina providentia verissimè
emanavit. Non ergo à fortuna & consuetudine
oriunda obtemperantia, sed unà cum rerum natura
geni-

SERMO.

genita, & in totius Vniuersi sinum largiter effusa.
 Gratius igitur, jucundiusq; nihil in terra esse potest,
 quàm cum homines, DEI & naturæ, quoad ejus fieri
 potest, imitantur virtutem atque consilium: deriva-
 tæque ad se parte aliqua illius æterna legis, ac guber-
 nandæ Reipub. rationis, providentiæ conuentus insti-
 tuant, coagmentent, vinculo illo justitiæ & obedi-
 tiæ copulent. Quod omnem societatem & bonam
 reddit, & stabilem continet. Hæ enim congregati-
 ones, civitates & communitates appellantur, quæ ad
 exemplum diuinæ hujus civitatis, quam nos incolimus,
 formata & composita, mirum quàm Principi
 Conditori nostro arrideant. Atque illæ demum sunt,
 quæ vel immortales, vel profectò diuturnæ admodum
 permanent. Vt igitur & in ducendo Magistratus,
 & in sequendo Subditi, suum faciant, & serio, offici-
 um, pulcherrimus hic uniuersus Ordo persuadeat,
 & commune bonum invitet: à sinistro verò propo-
 sito, DEI vindicta retrahat, & presentissima, quæ to-
 tum orbem urgent hodie, mala, quibus justissimus DE-
 us alios presenti pœna punit, alios periculo castigat,
 alios aliorum exemplis, ut ad frugem redeant, admo-
 nent. Nemo profectò necesse habet, rerum antiquitus
 C gesta-

DE MORIB. ET LEG.

gestarum monumenta evolvere, aut quid Patrum
memoria gestum sit, rogare: res saltem nostri tempo-
ris repetat, reperturus quantis flagris, & iis atrocis-
simis, Patribus nostris novis & mirandis, humanum
genus promiscuè cadatur. Vidit hæc ætas nostra ul-
tima crudelitatis exempla; Hominum cædes, Urbi-
um exustiones; Agrorum depopulationes; Regionum
vastationes. Splendida multa urbes terræmotibus
concussa, imò soli hiatu absorpta; Quid non fæmi-
neus passus, contra pudorem, sexus est? ab uberi-
bus matrum infantia abrepta in servitutem? Tur-
ca pestis, Principum nostrorum discordia ad suas u-
tilitates abutitur, paulatimq; viscera Christiani
Orbis depascitur, donec se totum in nos effundat. Fa-
mes, Dii boni, quot non enecat? pestis sævities circum-
quaque devorat? quæ omnia cum abunde in aures,
in oculos incurrant, in pectus tamen nondum nostrum
penetrant. Adeò nos calamitates indurant, & cal-
lum obducunt consuetudini peccandi, ne castigatio-
nes sentiamus, & fructum amittamus divina re-
prehensionis. Vehementer metuo, ne brevi tempo-
re graviores sentiamus manus DEI, aut etiã (quod
omnium est tristissimum, & quicquid in eo inest omni-
nis

SERMO.

nis, procul avertat Christus) ne penitus rejiciat nos
 & repellat à se, tollens in universum castigationem
 à nobis suam, tanquam insanabilibus, & quos indi-
 gnos judicat, qui corripiamur ut filii, donec aliquan-
 do puniamur ut servi, ut inimici, & exheredemur
 atque abdicemur, quemadmodum filii, quos nulla
 arte ad sanitatem retrahere potest pater. Quod
 tum eveniet ubi Christus, severus scelerum vindex,
 judicium sedebit, & graviter conculcabit pedibus
 inimicos justitiae suae. Huic divina ultioni nemo
 ita se subduendum, ut humanis, speret, in cujus ma-
 nibus, hic, quem videtis & non videtis, universus
 mundus est, & minima portio illius Regni & potē-
 tiae infinitae existit: ubi non loca, non pharmaca, non
 natura ipsa, quanta quanta est, ab ejus ira fontem
 ullum prestare tutum poterunt. Ab hac tanta in-
 dignitate & extrema miseria securos nos assere,
 ò Fili DEI, custos perpetue, & protector inclytæ
 domus Saxonicae, & Lycei hujus laudatissimi: at-
 tere corda nostra lapide agnitionis delictorum, &
 asperge rursus rore remissionis peccatorum: deduc nos
 pastor noster in prata justitiae & obsequentiae, & con-
 serva nos in ovili patientiae, charitatis, & timoris

DE MORIB. ET LEGIB.

*Domini, abige potenter, ne nos tibi adimant, lupos,
pravas concupiscentias, Et impulsores demones, ef-
ficeq; vasa misericordiae tuae sincera, constantia, Et
junge nos tandem tibi adventu regni tui, in domici-
lio germanae patriae nostrae, ex qua in terram tan-
quam exules ejecti, nunquam finiturae letitiae
ac beatitudinis socios. Amen.*













16

RECTORIS

Pro tempore

ACADEMIÆ VVIT-
TEBERGENSIS

IOHANN: IESSENI
à IESSEN, ILLVSTRISSIMO-
rum Saxonæ Ducum Medici &
Professoris.

DE MORIBVS ET LEGIBVS,

*Ad Studiosos in solenni statutorum
recitatione*

SERMO.



VVITBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii,

M. D. XCVII.

